



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

donans Thietmarsiam ecclesia, recipiēs ab illa Staden-
sem comitatum. Quod Henricus dux non passus, Adal-
beronem huius archiepiscopi prædecessorem captiuum
abduxit cum hoc Hartwico, vt antè commemorauimus:
Sed Hartwicus, & ante pontificatum, & in ipso, impar
erat Henrico: Vndè comitatum illum de facto, non iu-
re, sibi vendicauit, Hartwico moriente. Conradus quo-
què Lubicensis episcopus, interuentu Cæsaris, meruit re-
dire in parochiam suam ea conditione, vt sopita priori
obstinatione, ducem recognosceret feudi authorem: po-
titusq; reditu ob gratiam ducis, in virū alterum est mu-
tatus: Didicit enim ex his, quæ ipse passus est, cõpati fra-
tribus suis, & deceterò pronior fuit in humanitatis offi-
cia: Clerum defensauit à circunventione potentium,
præcipuè verò Henrici comitis Thuringi, tum Holsatiam
gubernantis, qui sacra prophanæque nuscuit more mi-
litari.

CAPVT XXVI.

ERat ea tempestate nobilis quidam *Doidekindus* de
Dasenberg, vir inquieto animo, & q. armis plus,
quam satis erat, indulgeret: Hunc Henricus dux diu
bonis conditionibus detinuit: sed vir effrenis etiam du-
cem cepit contemnere, si susmunitioni arcis suæ in mon-
tibus *Hercinia*. Henricus dux obsedit arcem, oppugna-
uitque: Sed cum ille sibi prospexisset de cõmeatibus, diu
sedendum videbatur, vt fame extorqueret deditiõnem.
Euocauit de *Hercinia* fossores minerarum, & iussit cu-
niculos agere ad puteum: quo intercepto, siti labora-
bant, & coacti sunt duci se dèdere obsesi. Quo tempore
Lubica, quod in *Doandalia* diximus, concessit in ius Hen-
rici ducis ex *Adolpho* *Holsatia* comite adolescentiore,
cuius pater eam primus post *Critonem* *Doandalum* ex-
duxit:

D d truxit:

truxit: Nam cum dux mercaturis opportunam adspiceret, contendit illam à comite magnis pollicitationibus accipere. Adolphus autem suaderi non poterat, ut duci cederet: Iratus Henricus, cepit nouam moliri urbem ad *Wokenissam lacum*, quam *Leoninam* appellauit: interdixitq; *Lubicensibus*, nè terram illius ingrederentur: Subditi autem ducis, omnia de *Lubica* à mari aduecta deuehebant: quæ res & *Lubicensibus*, & ipsis *Saxonibus* incõmodabat: Non enim poterant *Saxones* nisi per *Lubicam* ad mare peruenire: non sinebantur *Lubicenses* *Saxoniam* introire: Ità utrique tenuem neuere telam, paruum & exilem quæstum facientes. Sed cum *Lubica* igne suo conflagraret, noluerunt ciues instaurare domos, nisi spe reddita meliore: Vndè factum est, ut comes cernens sibi inutilem fore locum, nisi dux placaretur, permiserit duci *Lubicam*. Tum ciues alacriores instabant conerematam urbem, ordinibus designatis ad flumen & lacum vicorum tendentium: Dux urbem priuilegi honestauit, monetam instituit, concilium allegit, publicari fecit in regna aquilonis loci immunitatem, & multos ad inhabitandum, plures etiam ad querendum mercibus suis emporium inuitauit. Incredibile est memoratum, quam breui & quantum increuerit noua urbis molitio: augetur vndique fortuna ducis: Nam per hosce dies Imperator *Ratispona* agens curiam, natam *Henrico de Bauaria* controuersiam diremit, fratrualem eius, qui principatum vendicare contendit, placabat: permisso illi ducatu nouo *Austria*: quem *Henricus Conradi regis* frater, pridem sine prole moriens, vacauerat: Et hic est secundus dux *Austriae*, natus è *Sueuia*, cum esset primus de *Francia orientali*.